Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

NÜRNBERG

Bibliographische Daten

Titel:	Hartmann Schedel: Liber chronicarum – Nürnberg, STN, Cent. II, 98
Signatur:	Cent. II, 98

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

QUOD · ERAT · OFFICIUM · SUSCEPTI libri / Auspice Christo / quantis studiis pene viribus complevimus / prout ingenii mediocritas tulit / Decursis enim propositi operis sex etatibus / ad metam nostri temporis provecti sumus / Estque annus quinquagesimus tertius imperii / Gloriosissimi imperatoris Friderici tercii: / Ac filii eius. Inditi Regis Maximiliani Septimus / Moderniique summi pontificis Alexandri sexti / annus sui pontificatus primus. / Divino namque munere per tot Regum ac Imperatorum gesta / summorumque pontificum / et aliorum labores / pericula / et summa exigua / Cymba exigua estuosum mare sulcantes Eo ventum est / quo ab initio proram direximus. Si autem parte in aliqua quid plus maris quam minus / quam oportuerit exorbitatum est a veritatis tramite / sapienti emendationi relinquimus / Si vero quicquam labore isto in posterorum gestorum cognitionem ac futurorum oblectationem deduximus / Deo gratiarum largitori laudes exibere cupimus. Restant tandem perpauca de Septima et ultima etate / ac fine seculi mundanarum rerum / In huius operis fine dicenda disserendum / Ne priora omnia sine laudabili fine / irrita et infructuosa esse videantur / nisi divinum premium beatitudinis perpetue subsequatur :–

CUM · IN · PRIMORDIO · OPERIS · DE · PRINcipio mundi explicuimus / Et divine littere ad finem rerum tendentis nos erudiunt / Mundum denique finem habiturum / De quo nunc in fine operis disseremus. Plato enim qui de mundi fabricatione disseruit / id explicare non potuit / Qui celeste misterium quod non nisi a prophetis / ac deo discitur ignorabat / Ideo in perpetuum dixit esse fabricatum / Quod longe secus est / Quoniam quicquid est solido et gravi corpore / ut initium cepit aliquando / ita et finem capiat necesse est. Nam Aristoteles cum non videret / quemadmodum posset tanta rerum magnitudo interire / et hanc prescriptionem vellet effugere: semper ait fuisse mundum ac semper futurum / Cum tamen terram / et aquam / et ignem disperire / consumi / extinguique videamus / Que sunt utique mundi partes / Intelligitur totum esse mortale / cuius membra sunt mortalia / Ita fit / ut natum sit quicquid potest interire / Sed et omne quod sub visu oculorum venit et corporale (ut ait plato) et solubile sit necesse est / Epicurus igitur (auctore democrito) veridicus in hac re fuit / Qui ait ortum aliquando / et aliquando esse periturum. Propinquante itaque huius termino seculi / humanarum rerum statum commutari necesse est / Et in deterius nequicia invalescente prolabi: ut iam nostra hec tempora quibus iniquitas et malicia usque ad summum gradum crevit / In illius tamen insanabilis mali comparatione felicia et pene aurea possint iudicari: Ita enim iusticia rarescet / Ita impietas / et avaricia / et cupiditas / et libido crebescet / ut si qui tum forte fuerint boni: preda sint sceleratis / ac dirripiantur undique ab iniustis: Soli autem mali opulenti sint: boni vero in omnibus contumeliis atque in egestate iactentur / Confundetur omne ius: et leges interibunt: Nihil tunc quisquam habebit / nisi aut quesitum manu / audacia et vi omnia possidebunt / Non fides in hominibus / non pax / non humanitas / non pudor / non veritas erit / Atque ita neque securitas / neque regimen / neque requies a malis ulla / Omnis enim terra tumultuabitur / fremebunt undique bella / omnes gentes in armis erunt / et se mutuo oppugnabunt / Civitates finitime inter se preliabuntur / Tunc peragrabit gladius orbem metens omnia / et tanquam messem cuncta prosternens / Postremo vero detestabile atque abhominandum tempus existet / quo nulli homini sit vita iocunda / Evertentur funditus civitates atque interibunt / non modo ferro atque igni / verum etiam terre motibus assiduis / et alluvie aquarum / et morbis frequentibus / et fame crebra / Aer enim viciabitur et corruptus et pestilens fiet / et modo importunis imbribus / modo inutili siccitate / nunc frigoribus / nunc estibus nimiis / Nec terra homini dabit fructum / nec seges quicquam / non arbor / non vitis feret / sed cum in flore spem maximam dederint: in fruge decipient / Fontes quoque cum fluminibus arescent / ut ne potus quidem suppetat / Et aque in sanguinem / aut amaritudinem mutabuntur / Propter hec deficient et in terra quadrupedes Et in aere volucres / et in mari pisces. Prodigia quoque in celo mirabilia mentes hominum maximo terrore confundent / Qui igitur celsa tenent dominia atque imperia / eos aperire oculos et aures erigere. Hec sequentia et preterita tempora persuadent / ne eos letifer sompnus obrepat / Vigilanter aspirant / Quibus quantisque fortune fragilis pectus gerant. Cum eos viribus humana non obstare consilia queant / Et exemplis teritis gestis / quam in lubrico positi sint / animadvertant Et avaricie / luxui / furori / incontinencie / ambicionique properantes / letis ponere modum discant / memorantes dum amplificatos letiam mentes / Aut aliquo tentantes eventu aliquod enorme submittat / Ea lege eos aggere conscendisse / qua ceteros ruituros si libraverit in puncto penasque offensis daturos. Vos igitur qui appropinquare diem illum cernitis quo sit et hec vita migrandum / Deum summum veneratione colite / et integro affectu diligite / Sequimini sapientiam et virtutes apprehendite / Honorate dignos / amicos summa cum fide servate / prudentiam consilio suite et benignos vos moribus exibite / humanitate et iusticia dotati innocentes ad iudicium venire possitis :–